



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Ludovici VI. Francorum Regis præceptum de libertate testandi & bellandi  
pro servis Ecclesiæ Parisiensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

Ego Paschalis catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Bruno Signinus Episcopus.

Ego Landulfus Cardinalis Presbyter.

Datum Parmæ per manum Iohannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis & Bibliothecarij quarto nonas Novembris, Indictione quinta decima, anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo sexto, pontificatus autem Domini Paschalis secundi Papæ octavo,

*LVDOVICI VI. FRANCORVM*

*Regis præceptum de libertate testandi & bellandi pro servis Ecclesiæ Parisiensis.*

**L**Vdovicus Dei gratia Francorum Rex omnibus Christi fidelibus. Cùm juxta sacratissimarum legum instituta regia potestas ex injuncto sibi officio Ecclesiarum defensionis & honori plurimum vacare debeat, operæ pretium est eos quibus tanta permissa est à Deo potestas, earum tranquillitati & paci attentiori sollicitudinis cura providere & ad laudem Dei omnipotentis, per quem Reges regnant, Ecclesias & earum res quodam honoris privilegio decorare, ut in bonis actibus & regum morem exerceant, & supernæ retributionis præmium indubitanter recipiant. Noverint igitur omnes quia sanctæ Parisiensis Ecclesiæ conventus nostræ serenitatis præsentiam adierit, conquerendo ostendens & ostendendo conquerens quatinus servi præfatæ Ecclesiæ secularibus personis tanto contemptui habebantur quòd in forensibus & civilibus causis vel placitis adversùs liberos homines in testimonium nullatenus recipiebantur, & ecclesiastica mancipia secularibus servis ferè in nullo præferebantur; unde

An. 1109.  
Similes litteræ  
pro Ecclesia  
Carnot. ex-  
tant in tomo  
xiii. Spicileg.  
Dacher. pag.  
309.

res ecclesiastica, ob tanti scilicet dedecoris opprobrium, non solummodò vilescerat, sed maximum diminutionis incommodum de die in diem incurrebat. Cognita verò Ecclesiæ querela, motus tam ratione quàm dilectione, necessarium duxi à Parisiensi Ecclesia nobis quidem inter alias familiarissima tantum scandalum omnino remove & regiam sedem regio beneficio sublimare. Ego igitur Ludovicus Dei clementia Francorum Rex, communi quidem Episcoporum ac procerum nostrorum consilio & assensu, regiæ auctoritatis decreto instituo & decerno ut servi sanctæ Parisiensis Ecclesiæ, illi scilicet qui propriè ad Canonicos pertinent, adversùs omnes homines tam liberos quàm servos in omnibus causis, placitis, & negotiis liberam & perfectam habeant testificandi & bellandi licentiam, & nemo unquam servitutis occasionem eis opponens, in eorum testimonio ullam dare præsumat calumniam. Hac autem ratione licentiam testificandi ea quæ viderint & audierint eis concedimus quòd si aliquis liber homo in eadem causa de falso testimonio illos contradicere & comprobare voluerit, aut suam probationem duello perficiat, aut eorum sacramentum sine ulla contradictione recipiens, illorum testimonio acquiescat. Quòd si aliquis temeraria præsumptione illorum testimonium in aliquo refutaverit aut calumniaverit, non solum regiæ auctoritatis & publicæ institutionis reus existat, sed querelam negotij sui vel placiti irrecoverabiliter amittat, ita scilicet ut præsumptuosus calumniator de querela sua, si quærat ulterius, non audiatur, & si aliquid ab eo quærat, alterius querelæ reus & convictus omnino habeatur. Aliud etiam statuimus, ut prædictus calumniator, nisi de tanta calumniæ culpa Parisiensi Ecclesiæ satisfecerit, excommunicationis mucrone feriatur, & ad testimonium faciendum interea non

admittatur. Vt autem hoc nostræ institutionis edictum perpetuæ firmitatis privilegio muniatur, præsentem chartam fieri præcepimus, quæ nostræ auctoritatis effectum posterorum memoriæ tradat, & totius retractationis occasionem in perpetuum excludat. Ad hæc etiam in testimonium veritatis nomina Episcoporum, Comitum, ac procerum nostrorum, qui huic chartæ assensum præbuerunt, inscribi iustum decrevimus; & ad extremum, sigillo nostræ imaginis ipsam chartam signavimus, & caractere nostri nominis corroboravimus. Astantibus de palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. Signum Anselmi de Garlanda tunc temporis Dapiferi nostri. Signum Hugonis cognomine Strabonis, tunc temporis Constabularij nostri. Signum Guidonis filij Guidonis de Turre, tunc temporis Buticularij nostri. Signum Guidonis Camerarij nostri. Signum Galonis Parisiensis Episcopi. Signum Ivonis Carnotensis Episcopi. Signum Iohannis Aurelianensis Episcopi. Signum Manasse Meldensis Episcopi. Signum Odonis Comitis de Corbolio. Signum Matthæi Comitis de Bellomonte. Signum Ludovici Regis. Actum publicè Parisius regio palatio anno ab incarnatione Domini M C I X. Indictione I. anno regni nostri primo. Stephanus Cancellarius relegendo subscripsit.

